

SCRIPTA

Numéro Scripta : 234

Autre(s) référence(s) : ARTEM 2726

Auteur(s) : Philippe Ier, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Guillaume Bonne Âme, Rouen (archevêque)

Genre d'acte : diplôme

Authenticité : non suspect

Datation : 1091

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe Ier donne en fief l'abbaye Saint-Mellon de Pontoise à Guillaume, archevêque de Rouen, et à ses successeurs et confirme la restitution de l'archidiaconé du Vexin, faite par le comte Gautier [III, d'Amiens-Vexin] à l'archevêque de Rouen, Maurille, et à ses successeurs ; il règle les devoirs de l'archevêque de Rouen comme vassal du roi.

Tableau de la tradition

Original

A. Rouen, Archives départementales de Seine-Maritime, G 1846.

Éditions principales

a. Prou Maurice, *Recueil des actes de Philippe Ier, roi de France (1059-1108)*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1908, n° CXXVII, p. 321-323.

Texte établi d'après a

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Philipus, Dei gratia Francorum rex, concedo abbatiam sancti Mellonis de Ponte Isaræ domno Willelmo, Rotomagensi archiepiscopo, et omnibus successoribus suis et dono in fedium, ut eam de me et de successoribus meis perpetuo teneant, ad honorem et exaltationem sanctæ Rotomagensis ecclesiæ, sed et de æcclesiis atque altaribus quæ sunt in Vilcassino, de quibus præfatus archiepiscopus monstrare poterit rectitudinem ecclesiæ suæ, concedo ei auxilium meum, fortitudinem atque consilium secundum justiciam. Praeter hæc etiam concedo et confirmo redditionem illam qua Gualterius comes, filius Drogonis comitis, reddidit Maurilio, Rotomagensi archiepiscopo, et omnibus successoribus suis totum illud quod pertinet ad archidiaconatum de Vilcassino sive in castello de Ponte Isaræ sive extra, et quodcumque ipse antehac in manu sua detinebat vel aliquis per eum habebat et possidebat, similiter et in Calvomonte et reliquis sive burgis sive villis. Hanc, inquam, redditionem tali ratione confirmo ut, si est de fedio meo, de me illud habeat Rotomagensis archiepiscopus, si vero est de archiepiscopatu, de comite Normannorum teneat, cuius est archiepiscopus. Hoc autem erit servicium quod pro prefato fedio faciet mihi Rotomagensis archiepiscopus : per singulos annos veniet ad unam ex curiis meis, sive Belvacum, sive Parisius, sive Silvanectum, si fecero eum convenienter submoneri, nisi ipse legitimam excusationem habuerit. Cum autem ad curiam meam venerit, mittam ei conductum ad Calvummontem sive ad Pontem Isaræ ; sed et ad placita mea veniet per Vilcassinum si et ego eum inde fecero convenienter submoneri. Ut autem hæc racio omnibus tam presentibus quam futuris fiat cognita et carta hæc firmitatem obtineat, nominis mei inscriptione et sigilli mei impressione corroborari feci et premuniri, anno .M. X° C. I°. ab incarnatione Domini. Huic

vero donationi interfuerunt ex mea quidem parte Wido dapifer de Rochefort, et Adelelmus de Lusarces, et Gualterus Tirel, et Paganus de Nielfa, et Odo filius Walonis, et Hubertus cancellarius meus ; ex parte vero archiepiscopi, Odmandus de Calvomonte, et Drogo filius Gualonis, et Ricardus de Pormort, et Fulbertus archidiaconus, et Ricardus capellanus, et Herbertus de Calvomonte, et Urso canonicus, et Rogerus de Constanciis, et Wibertus, canonici.

Signum + Philippi regis.

Signum + Walteri Tirelli. Signum + Pagani de Nielfa. Signum Adhelelmi de Liusarces.

Signum Widohnis dapiferra de Rocefert.